



honestum ad diffusionem idearum inter populos. Et huic obligationi satisfacere debent, etsi aliquando talis praedicatio fiet eis opus ingratum, cum eos impopulares facere ac facili accusationi de defectu amoris patriae exponere queat. Sine adlaboratione episcoporum in suis dioecesibus et nationibus verba Romanorum Pontificum magna ex parte vox in deserto remanent. Timiditas debet eis extranea esse et meminisse debent ad eos dirigi verba Dei dicta Ezechieli prophetae (33, 6 s): « Si speculator viderit gladium venientem et non insonuerit buccina et populus se non custodierit, veneritque gladius et tulerit de eis animam, ... sanguinem... eius de manu speculatoris requiram » et illud S. Pauli ad Galatas (1, 10): « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem ».

Pax fundari debet quidem in iustitia et caritate et non in aequilibrio periculi et terroris, tamen ex altera parte non debet esse debilis et homini apathico propria; non debet esse talis sollicitudo pacis, qua mali ad habendam securitatem in perverse agendo abutantur et pervertant verbum Christi (*Mt.* 5, 39): « Ego autem dico vobis non resistere malo », obliviscendo Christum non venisse portare pacem vitio et peccato; dicit enim de se (*Mt.* 10, 34): « non veni pacem mittere, sed gladium ». Christus affert mundo pacem suam, pacem fundatam in respectu personae, eiusque iurium tam personalium quam socialium.

Pax, ut recte affirmatur in schemate, est donum Dei et ut donum Dei non obtinetur sola sollertia humana, debet peti humili et constanti supplicatione. Hinc episcopi debent saepe cum suis fidelibus exorare pacem oratione coniuncta cum poenitentia, memores bellum esse in manu Dei etiam instrumentum castigationis pro peccato. At, quando Pater iratus verberat, est felix ad Matrem qui properat. Tunc *Regina apostolorum* monstrat se esse *Matrem fidelium* et *Reginam pacis*.

100

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA

*Archiepiscopus Cracoviensis*

P. 21: lin. 18, loco: « ... excitatum ab Illo quia omnia per Verbum creavit ac suo vivificat Spiritu ». Non placet haec expressio, quia: 1) est nimis difficilis et potest non-theologum in errorem ducere, 2) de quali « vivificatione » agitur — naturali an supernaturali? Potius sit ita: « ... excitatum a Spiritu Sancto » (cf. pag. 6, linn. 9-15).

Lin. 20: est: « Cui (i. e. germi a Deo excitato) certe debentur iam plura signa progressus... ». Pro nobis hoc est evidens, pro non-christianis minime evidens; immo haec progressus mundani « appropriatio » eorum iam provocare potest et in oculis eorum contradicere cum declaratione pag. 6, linn. 27-30.

Pag. 22, lin. 5: loco: « verum incrementum personae humanae promo-



veant, ut potius dira etiam impedimenta obstruant ». Proponitur: « *vere crescentem personae humanae observantiam* promoveant; *immo*, potius dira etiam impedimenta obstruant ».

Lin. 9: loco: « verbo et amore », proponitur: « *veritate* et amore *aedificata* ».

Pag. 23, lin. 4: loco: « et nova temporibus apta paranda », proponitur: « et ad condiciones novas, temporibus aptas, parandas ».

Linn. 10-11: loco: « ... Dei glorificationem, unde per ipsos filii... », proponitur: «... Dei glorificationem; unde per parentes filii... ».

Lin. 13: est: « Sed cum familia christiana sit imago et participatio foederis amoris Christi et Ecclesiae fidelitate mundo... ». Tota haec phrasis ita mutanda videtur: « Sed cum familia christiana sit imago et participatio foederis amoris Christi et Ecclesiae, *coniugum* fidelitate mundo innotescat viva Salvatoris praesentia in mundo; coniugum autem amore et generosa foecunditate mundo innotescat unitas Ecclesiae eiusque sincera natura (cf. *Eph.* 5, 32) ».

Lin. 32: loco: « efficiendo propitiam », proponitur: « propitiam efficiendo ».

Lin. 35: loco: « et ipsius Ecclesiae, Christi corporis », proponitur: « et ipsius Ecclesiae, quae est Christi corpus mysticum ».

Lin. 38: est: « prolis exigit », sit: « prolis, exigit ».

Pag. 24, lin. 20: loco: « unde bonum fidei », proponitur: « unde eorum fidelitas ».

Pag. 25, linn. 23-24: loco: « tamen promovendae culturae vere humanae id agunt », proponitur: « tamen promovendae culturae vere humanae ille labor productivus suscipitur, ut... ».

Lin. 34: loco: « ... pendet e spiritu dialogi », proponitur: « ... pendet a bona voluntate dialogandi... ».

Pag. 27, lin. 11: loco: « Cum Deus bona terrae commune totius generis humani patrimonium constituerit », proponitur: « Cum Deus bona terrae *ad usum communem* totius generis humani tamquam eius patrimonium constituerit, modum vero ea *dividendi inter proprietarios*... ».

In lin. 12 agitur de divisione bonorum per appropriationem, iamvero in lin. 14 agitur de distributione *fructuum* in productionis processu editorum.

Linn. 14-15: est: « Ecclesia proinde nulli particulari systemati oeconomico obligatur ». Distinguendum est: essentialis adest differentia inter haec tria: 1) Postulata a lege naturali possibilitas practica pro omnibus hominibus relate ad acquisitionem bonorum etiam productivorum in proprietatem privatam. 2) Actualis structura divisionis proprietatis privatae hic et nunc. 3) Concretum systema oeconomicum in processu productionis et distributionis bonorum.

Ergo linn. 14 et 15 ita mutetur: « Ecclesia proinde nulli particulari systemati oeconomico nec ulli historica vel actuali structurae divisionis bonorum in proprietatem privatam obligatur; attamen Ecclesia affirmat ius natu-



rale omnium hominum ad proprietatem aliquam bonorum etiam productivorum acquirendam ».

Linn. 15-16 ita supplendi sunt: « Ipsae autem formae et institutiones, determinantes sive structuram divisionis bonorum appropriatorum, sive systema oeconomicum, novis condicionibus continuo prudenter... ».

Lin. 19: ita supplendus est: « ... destinantur; hoc autem obtineri nequit sine effectiva realisatione iuris non-possidentium ad moderatam proprietatem bonorum etiam productivorum acquirendam ».

Lin. 29: est: «... et redigendo eos quodammodo in servitum sub iugo priorum operum ». Haec thesis, quae a marxista theoria de operariorum alienatione in capitalismo inspirata esse videtur, prima vice, nisi fallor, introducitur in doctrinam sociale Ecclesiae. Omittatur haec thesis, quia implicite ducit ad oppugnationem salariatus atque proprietatis privatae bonorum productivorum.

Lin. 40: addendum est: « Insuper naturale hominis ius ad laborem in automatisationis praecipue progressu attendendum est ».

Pag. 28, lin. 8: loco: « vere addicti, imbuti Beatitudinum spiritu, qui totam vitam eorum pervadat et inflammet. Qui Christum... », proponitur: « vere addicti. Ad hoc, ut christiani tales evadant in tota eorum vita, necesse est, ut per paupertatem materiale in spiritu sese in aequilibrio teneant respectu bonorum temporalium, donec ut media ad finem ultimum pro eis appareant. Qui Christum... ».

Pag. 29, lin. 5: loco: «... gravissima iustitiae et caritatis... », proponitur: «... gravissima *socialis* iustitiae et caritatis... ».

Lin. 17: loco: « ... bona terrae necessario in totum hominum genus impendenda sunt... », proponitur: « ... bona terrae necessario in usum omnium hominum, appropriatione facta, impendenda sunt ».

Pag. 30, lin. 30: loco: « quam germano spiritu cooperationis... », proponitur: « quam sincera cooperationis voluntate et concordiae.

Pag. 31, lin. 30: loco: « habentur cohaerens progressus... », proponitur: « habentur: 1) cohaerens progressus... ».

Linn. 31-32: loco: « sint liberae et auctoritas... », proponitur: « sint liberae; 2) auctoritas *universalis* internationalis, qua gaudeat instrumentis necessariis ad bonum familiae humanae universum promovendum, praesertim autem ad bellum vitandum et pacem tuendam... ».

Pag. 32, lin. 6: loco: « respondendo signis Spiritus Dei... », proponitur: « respondendo hominum desideriiis a Deo excitatis in cordibus non solum christianorum, sed etiam aliorum hominum ».

Lin. 17: loco: « et Christi eius », proponitur: « et Christi ».

[*Nomine episcoporum Poloniae*].